

ORATIO

AD

Serenissimum Potentissimumq;

IOANNEM III.

REGEM POLONIÆ &c.

*cum Responsione Illustriss: Dñi: Andr: Olzowski
Habita*

A

LEGATO REGIS SVECIAE.

Et ad Reginam Poloniae.

ANNO M. DC. LXXIV. 9.

P.C.

K 6.

O R A T I O

SCIENTIARUM FACULTATIS

DANIELI III

EXXVIII³⁶² die ant. abitur

LEGATO REGIS SVEVICAE

ANNO M. DC. LXXV. 2

Serenissime & Potentissime Rex.



SACRA REG: MAJESTAS
SVECIÆ, REX & DOMINVS,
MEVS CLEMENTISSIMVS,
Inclytæ REIPUB. POLONÆ bello
cruento adversus Turcas impli-
cata, & luctuosa orbitare moerenti
SERENISS. REGIS MICHAELIS
obitum ex animo indoluit.
Intellecto verò armorum Polo-
nicorum prospero successu, quo

Turcarum vires ad Chotimum fractæ, prostratæ atque de-
letæ fuerunt, maximâ lætitiâ affectus est; præsertim quòd
tantæ victoriæ decus & servatæ Poloniæ, defensæque Chri-
stianæ Reipub. gloria Divinæ Providentiæ, quæ adversis
lata miscet, & heroicæ Sacræ Reg. Majest. Vestræ virtuti,
ductuique, gentisque generosæ fortitudini debita, Rempub:
Polonam inter suspiria & gemitus afflictam, solaretur, justiq;
periculi metu & futuri anxia sollicitudine universam Euro-
pam sibi timentem solveret & exueret. Sed majus adhuc gau-
dium Majest. Sua percepit, ex felici Electionis Regiæ eventu,
perspectisq; rerum & momentorum rationibus, undè Majest.
Vestræ ad inclyti hujus Regni sceptra capeßenda evectæ
gloriam, felix Regni auspiciu, Poloniæ incolumitatem,
barbarorum cladem, & Christiani orbis quietem & emolu-
mentum sperare & augurari convenit. Quod ut testatum ac
manifestum faceret Majest. Sua, mihi in mandatis dedit, ut
qui antea Regi eligendo & Reipub. electuræ pia vota allatu-
ruseram, nunc utriq; de re optimè gesta festo & solenni ap-
plausu gratularer, Majestatiq; Vestræ significarem, quanti
Majest.

Majest. Sua inclytas & heroicās Majest. Vestræ virtutes æstimet, ad quas ipsa quoque cœlesti planè indole & animo pariter adsurgit. Gratulatur itaque Majestas Sua Majestati Vestræ, quòd apud suos, & Orbem universum, dignum meritis suis judicium invenerit, sic ut tantis virtutibus, victorijs atque triumphis, debitus Regalis dignitatis splendor tandem accesserit. Gratulatur quoque Poloniæ, quæ saluberrimo consilio, dignissimum sibi Regem eligens, honori & existimationi Gentis suæ, causæque publicæ votis & quieti consuluit. Proindè Majestas Sua Majestati Vestræ à DEo Optimo Maximo per quem Reges regnant, salutem, incolumitatem, prosperos rerum successus, felix imperium, vitam, victorias, triumphos, & perennè gloriã vovet & apprecatur, Majestatemq; Vestrã Fraterno affectu & animo adeò complectitur, ut nulli unquam Regum & Principum cessura sit, sincerã erga Majestatem Vestram & Rempubl. Poloniæ amicitia & studio. Et quemadmodum Majestas Sua intuitu virtutis, fidei & candoris Majest. Vestræ totius Reipubl. Poloniæ, omninò sibi persuadet, sanctis amicitia & fœderum legibus, quæ Sveciæ cum Polonia intercedunt, plenum robur atque integritatem constituram, mansuram, firmatum auctumque iri: ita Majest. Sua non tantum paria ijs factura est, sed & ubicunq; poterit Majestatis Vestræ & Reipublicæ Poloniæ dignitati, fortunis & ornamento aliquid adstruere, hoc omne Majestas Sua eò lubentiùs votis, consilijs, officijs, ope atque copijs præstitura est, quò magis intelligit Regna Sveciæ & Poloniæ, plurimis ex causis & communiõne utriusque fortunæ indissolubili vinculo adeò invicem sibi connecti, ut cujuslibet sortis, sensûs, eventûs ratio sit, ad utrumque eorum ex æquo pertineat.

RESPONSIO

RESPONSIO ILLUSTRISSIMI
Dñi ANDREÆ OLSZOWSKI
Episcopi Culmensis, Procancellarij Regni, Nomine
SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS POLONIÆ.

pon. E. XVII 344



Am arctis & sanctis amicitia, vicinitatis, foederumq; nexibus Serenissimi & Potentissimi Reges & Regna Poloniae & Sveciae invicem cohaerent, tanta communione utraeque fortissima & gloriosissima Gentes sociantur, ut mala bonaq; pro communibus haberi, alterum alterius adversis dolere, prosperis latari, peraequum & maxime conveniens sit. Separamur Poloni diversis Poli climatibus, & interfusus marium spatij, neque tamen alienos omnino vel toto divisos aequore Svecos a mutuis nobiscum commodis & solatijs censeamus, quos terrarum Livoniae vicinia, liberi & aperti Baltici Maris navigatio, & commercium jungit: quos militaris genius, bellorumque inclyta gloria consimiles & propere congeninos reddit. Illa ipsa acerrima, quibus collidebatur, dissidia, armorumque certamina, nunc animorum & amorum incitamenta sunt; quando extinctis sepultisque inimicitarum causis, alma Olivenensis pax nunquam marcentis, semper virentis, aeternos dulcedinis fructus germinaturae, ramum plantavit Olivae; ac vetus scitum, hic verissimum: idem odijs qui & terminus armis. Argumentum eximium capit Sacra Regia Majestas Dominus Meus Clementissimus Fraternali studij & affectus Sacrae Regiae Majestatis Sveciae cum solenni hac extra ordinem Legatione, in ipsis regnandi auspicijs, Pius Majestati honor habetur, cum tam luculenter & diserte, cruenti Turcici belli, & nuperae orbitatis Nostrae dolor, praesentis felicitatis ob Chotimensem post hominum memoriam clarissimam victoriam mox ob Regiam Electionem la-

titia, publico Excellentiae Vestrae ore exprimitur, ac vetus amicitia innovatur simul, firmaturque. Magnum istud est honoris fastigium quod Sacra Reg. Majest. liberis vocibus, & concordibus Electoris Populi suffragijs Thronum conscenderit, non fortuitum id manus, sed heroicae virtutis praemium, bellorum & victoriarum hostimentum accepit, ferro ad Sceptrum, casside ad Coronam, viam sibi praemunivit. Sed multum gloriae & dignitati accedit, quod Universi Orbis applausus, Regum & Principum gratulatio, ac inter primos S. R. Maj. Sveciae tanta contestatio, fortunam Regiam accumulet, exornetque. Quidni plenam fiduciam speremus, ulteriora amicitiae Svecicae documenta, quando sponte & obvia humanitate haec talia praecurrunt. An defutura sint periclitanti rei Poloniae contra immanissimum, toti que Christianitati formidolosum Ottomanicum tyrannum praesidia, quae nuper promissa & declarata, nunc jam certo certius legatione ista confirmantur. Quantam concipiat spem Orbis de tanto Principe, qui *ante annos animumque gerens, curasque viriles* non intra Regni sui amplissimi limites claudit, sed magnam mentem trans maria porrigit, & conservari defendique Poloniam, gloriae, commodi, securitatis suae existimat. Servent Superi egregium hunc animum & Indolem Majestatis Sveciae, impleat spem Orbis fortibus gestis, felici imperio, gloriosissimis triumphis, quod animitus vovens, reciprocam sinceram amicitiae, bonae vicinitatis, studiorum, candoris, pactorum religiosae observantiae vicem devovet & obstringit, prolixius affectu quam verbis S. R. Majest. Dominus meus Clementissimus.

ORATIO

ORATIO LEGATI REGNI SUECIE AD
REGINAM POLONIE &c.

Madame ,

L'INTEREST QUE LE ROY MON MAISTRE
doit avoir, entout ce qui regarde la Pologne, luy a
donné toute la joye, que peut jamais recevoir un
Prince amy de cet Estat, à l' elevation de sa Majesté
Le Roy à cette couronne. Il falloit bien, que Dieu estât juste & ayant
couronné deslauriers la vertu d' un si grand Capitaine, pui avoit
combattu pour la defense de la patrie, y ajoust ast une Courõne Royale,
a fin d' en accomplir la gloire, qui luy estoit deüe, pour avoir sauvé l'
estat, & par des tres hauts exploits, deffait les ennemys de la, foy
Chrestienne Il estoit juste, ausi, que la vertu & la pieté de Vestre
Majeste receust bes fruiçts & les recompenses, qui luy estoient de-
ñes du Ciel, & que tant de graces & de perfections, la portassent
par un merite infiny, à la possession d' une Couronne. Les raisons d'
estat, dont la Suede & la Pologne doivent estre in separablement
unies ne sont pas les seuls motifs de ce que Sa Majeste le Roy mon
maistre mesme sans attendre de notifications formelles de cette
Cour, my a voulu enuoyer, pour declarer la part, qu' il prend
au bonheur & à la gloire de Sa Majesté le Roy & de la Vostre,
Madame; Mais c' est ausi la connoissance & l' estime tres particu-
liere, que Sa Majeste a des vertus heroiques de Sa: Majeste Le
Roy, & des merites de Vestre Majestaté. La Reyne douairriere de
Suede, ayant les mesmes sentiments que le Roy son fils, Sa: Majesté
m' a commandé de vous témoigner, Madame, combien elle s'
interesse

*interesse en la gloire & la prosperité de Vestre Majest. de quoy je
tascherois vous rendre compte plus amplement, si je ne connoissois
qu'une telle entreprise iroit au dela de mes forces, & S'il mesloit
superflu de vous assurer, Madame, des verités par
un long discours, dont Vestre Majesté sera
entierement persuadée.*

TYPIS MONASTERII OLIVENSIS.

